



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Aprilem, Majum, Junium


Nepveu, François


Monachii, 1709


Dies 18. De omnipotentia Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60514)

Aprilis.









DIES XVIII.

De Omnipotentia Dei.

I.

*Quia non est
impossibile a.
pud Deum
omne verbū.
Luc. 1. 17.*

Rom. 4. 17.

DEus omnia potest; cū ejus potentia sit infinita, nec alios habeat limites, quā id, quod est impossibile. Imò, quod hominibus impossibile videtur, à Deo fieri potest. Omnia per semetipsum potest, cū potentiam habeat liberam, nec ab ullo pendentem. Fundo non indiget, in quo illam exerceat; nam perfectissimas quasque Creaturas è nihilo eruit. *Vocat ea, quæ non sunt, inquit Propheta, tanquam ea, quæ sunt.* Atque ipsum nihilum ejus voci obsequitur. Præterea nullo ei ullius Creaturæ subsidio opus est. Cū solus agere possit, quidquid cum illis agit: nam, quidquid illæ habent, totum ab ipso habent, nec sine ipso quidquam possunt, quæ sine illis omnia potest. Si velit, ut securi agant, id non eò fit, ut ipsum adjuvent, sed ut illas honoret. Ex indulgentia quadam eorum naturæ plerumque se accommodat, aliquoties verò per potentiam suam supra naturam eas elevar: & hoc fit, cū miracula patrat, quæ solus ipse patrare potest.

II. Po-

II. Potentiæ divinæ resistere nihil potest: velle, & agere Deo unum, idemque est. Creaturæ stupidissimæ, omnique sensu, & intellectu destitutæ, intellectu prædictæ videntur, ubi de obedientia agitur vocî divinæ præstanda: inclinationes suas exuunt, ut ipsius obsequantur voluntati; vel potius alias inclinationes non habent, quàm ad ipsius iussa exequenda: Deus *omnia, quaecunque vult, facit, inquit propheta, in Cælo, & in terra.* Id, quod in Principibus appellatur potentia, vera imbecillitas est: quot enim ministris, quot procuratoribus, quot militibus non indigent, ad id, quod animo intendunt, perficiendum? hoc est, quot brachijs opus ipsis non est ad potentiam suam sustentandam, quot auxilijs ad modica sæpè præstanda? Deus verò nullo indiget, nisi seipso ad omnia suscipienda, & perficienda, cum in sua potentia, veluti inexhausta abyssus inveniat, quidquid ei opus est; ut possit, & faciat, sufficit ei velle.

III. Quas conclusiones ex Omnipotentia Dei ducere non possum ad mei instructionem, & solatium? Deus omnia potest; quid mihi non timendum, si eum offendere non verear; cum vindictas æquare potentiæ suæ valeat? Deus omnia po-

Aprilis.

test; quid mihi in maximis formidandum periculis, si Deus me protegit? potestne cadere, qui omnipotenti innititur brachio? Deus omnia potest, quid ab eo mihi non expectandum, si ei serviam; cum alias non habeat mensuras remunerationum, quas mihi pollicetur, quam suam bonitatem, & potentiam? Deus omnia potest, qui ergo fit, ut eum non amem, cum potentia sua non utatur, nisi ad mihi benefaciendum? Deus omnia potest; cur igitur de venia scelerum meorum, quantumvis gravium impetranda desperem; quandoquidem, Spiritu sancto teste, magnitudinem potentiae suae maximè gravissima peccata remittendo manifestat? *misereris omnium*, inquit sapiens, *quia omnia potes*. Omnipotentia Dei radix est, & mensura Misericordiae ejus: quantumcunque miser sim, possumne de peccatorum meorum venia desperare, dum spem meam in Fundamento tam solido pono?

Si considerata fragilitate tua, animo cadis; considerata Dei omnipotentia, cui inniteris, confidentiam tuam animet.

Subest enim tibi, cum volueris, posse, Sap. 12, 18.

Propterea dicitur omnipotens, quia, quidquid vult, potest. Aug. de Symbol.

DIE